

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA
DE

VARIS ET GVTTA ROSACEA.

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIS IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

*VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO*

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO
OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME CAPESENDIS

H. L. Q. C.

AD D. OCT. ANNO MDCCXLV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

ERNESTVS LVDOVICVS EICHRODT

BADA - DVRLACENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILIGERI, Acad. Typogr.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
CAROLO

MARCHIONI BADENSI ET HOCHBERGENSI,
LANDGRAVIO IN SAVSENBERG, COMITI IN SPON-
HEIM ET EBERSTEIN, DYNASTÆ IN ROETELN,
BADENWEILER, LAHR ET MAHLBERG,
RELIQVA.

PRINCIPI AC DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME. 2

Pro salute corporis SERENISSIMO-
RVM PROCERVVM TVORVM ex-
cubare, eorundemque singulari clementia li-
beraliter perfrui; hæc patri meo contigit fe-
licitas. Qui enim SERENISSIMO PAREN-
TI TVO in itinere fanitatis tuendæ custos
erat constitutus: ille eandem quoque provin-
ciam in aula SERENISSIMI AVI TVI ad-
ministravit; ab utroque ita benigne tractatus,
ut hujus beneficentiæ eximios fructus adhuc
percipere possit ex ipso nata posteritas. Huic
itaque a SERENISSIMIS TVIS PROCE-
RIBVS in patrem meum perquam largiter
collatæ benignitati id etiam tribuendum erit,
quod

quod in celebratis bonarum artium palæstris
per multos annos versari, animum scientia
medica instruere, atque hac honesta ratione
se ad publicam quandam utilitatem parare
mihi liceret. Quare finito jam studiorum
meorum cursu academico, mihi justum fore
ac æquum videbatur, ut tantæ **PRINCIPVM**
liberalitatis solennius recordarer, **TIBI**que,
SERENISSIME PRINCEPS, a vitorum &
paternorum meritorum hæredi absolutissi-
mo, publicum quoddam huius rei nunc da-
rem documentum. Huc accedit, quod in re-
publica actiones civium a voluntate Princi-
pum dirigantur; adeoque quemque bonum
oporteat a se actorum Principi Suo reddere
rationem. Duplex igitur erit officium, **SE-**
RENISSIME PRINCEPS, quod partim
grati clientis, partim boni civis nomine er-
ga **TE** nunc debet a me observari. Solito id
eruditis more peragam, chartaceum nempe
& grati animi mei, & fidei ac pietatis plenis-
simum monumentum **TIBI** exstructurus. Qua
mente

mente **CELSISSIMO TVO NOMINI,**
DOMINE CLEMENTISSIME, primum
hocce meum specimen academicum inscri-
bere audeo, illudque ad pedes TVOS sub-
misse depono & rogo, ut pios hosce meos
conatus benignissime intuearis. Servet TE,
SERENISSIME PRINCEPS, DEVS T.
O. M. (quem ardentissimis precibus inde-
finenter flagitabo,) omni prosperitatis ge-
nere cumulatissimum, **PATREM** Patriæ
indulgentissimum, annisque Nestoreis dignif-
simum! Ita animatus perseverabit

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,
CELSISSIMI TVI NOMINIS

humillimus & obsequiosissimus
cultor

ERNESTVS LVDOVICVS EICHRODT.



PRÆFATIO.



Commodum & pulchrum esse corpus humanum, neminem latet, nisi sui ipsius ignarum. Nam quod corpus nostrum sensibile sit, quod multis modis flecti & moveri possit, quod per tempus haud ita breve duret, quod firmitatem habeat, & quod in eo quædam observentur, quæ nobis grata sunt atque accepta: hæc omnia a quolibet per quam facile perspiciuntur, quam primum quis ad semet ipsum vel mediocriter attenderit. Ex quo autem quisque jam conjiciet, inesse singulis partibus, ex quibus corpus nostrum tam mirifice conflatum est, talem dispositionem, qua ejus usus factus est perfectior: unde porro colligere licebit, quod corpus humanum sit commodum. Cum vero præter hancce corporis nostri perfectionem, & tale quid primo statim, ut dicunt, intuitu in eodem deprehendatur,

tur, quod nobis placet: eidem simul pulchritudinem quandam competere, nemo non iudicabit. Has corporis nostri perfectiones, commoditatem nempe ac pulchritudinem quamvis leviori quodam studio quisque comprehendere possit: eiusmodi tamen cognitio cum illa haud meretur comparari, de qua sibi adquirenda omnes sunt solliciti, qui arti salutari nomen suum profitentur. Horum enim officium cum sit, distinctam corporis humani impetrare cognitionem: eius partes singulæ ut penitus considerentur, necessum esse iudicant. Quanta hic rerum contemplandarum multitudo, quanta diversitas, quantusque earundem, quo cohærent, nexus ab ipsis deprehenditur, ita tamen, ut omnia ad certum finem tendere videantur. Jam cum maior rei cuiusdam sit perfectio, in qua maior diversorum adest numerus tendentium ad unum obtinendum: maiorem hinc perfectionem corpori humano inesse, sanus quisque medicus luculenter introspeciet. Is ipse, si corpus secundum externam eiusdem superficiem consideraverit, adtentus ad partium singularum rationes inter se cum toto convenientes: naturam leges evrythmiæ & symmetriæ accurate applicasse deprehendet; unde jam excellentiorem pulchritudinis ideam consequetur. Illustre nobis hac in re exemplum dedit GALENVS in aureo illo tractatu *de usu partium Libr. XI. Cap. XIII.*: ubi ex instituto docet, quantum natura utilitati ac pulchritudini corporis nostri prospexerit. Quod probe etiam intellexisse videtur VITRUVIUS, quippe

pe

pe qui *Libr. III. Cap. I.* hanc regulam architectonicam constituit: *ædificium ad hominis bene figurati membra exactam habere debet rationem.* Neque id fecus fieri potuit, qui apud se perpendit, D. O. M. rebus creatis tot concessisse perfectiones, quot iisdem concedi poterat. Sed quis commoditatem & pulchritudinem corporis, ex numero perfectionum eximere aufit, quæ corpori humano indi non potuissent? Lædi autem corpus nostrum, lædi eiusdem commoditatem & pulchritudinem, sæpe sæpius docet experientia. Fit id in morbis, utpote qui omnes dissensu virium absolvuntur. Quod cum ita sit, patet corpori nostro, ut morbis obnoxio, non tantam amplius competere perfectionem, quanta ipsi tribui debet, dum eiusdem vires plane inter se consentiunt, hoc est, quando perfecta sanitate fruimur. Ex quibus jam abunde constat, quod læsis commoditate & pulchritudine corporis, quædam eius perfectiones imminuantur. Sed cum medici partium sit, curare, ut congruus in corpore adsit virium consensus: commoditati & pulchritudini corporis, si læsæ fuerint, convenienti etiam modo succurrendum erit. Erasse mihi itaque paullulum videtur CORNELIVS CELSVS qui *Libr. VI. Cap. V. varos, lenticulas, & ephelides* curare pro ineptiis habuit, quia hosce morbos pulchritudini tantum corporis obesse existimabat. Neminem igitur esse futurum spero, qui tanta CELSI auctoritate munitus, me reprehensione quadam dignum esse iudicet, quod ita tenuem materiam

B

speci-

10 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

specimine inaugurali pertractandam mihi sumserim. Posito enim eo, quod vari, quod gutta rosacea venustati tantum corporis officiant, essetne id indignum consideratione medica? minime gentium! Huc accedit, quod vari & gutta rosacea ut effectus aliorum morborum in corpore jam presentium spectari debeant, in quorum causis evolvendis multa quidem a multis auctoribus rerum medicarum & chirurgicarum dicta esse scio, sed multum passim a veritate remota, prout id infra constabit. Erat itaque, cur operæ pretium fore judicarem, dissertationem inauguralem ex legibus academicis conscripturnus, in eadem *variorum & guttæ rosacæ* penitiorum exhibere considerationem. Velit modo L. B. meas hac de re conceptas meditationes æqui bonique consulere.

§. I.

Vari sunt tubercula in cute faciei comparentia, magnitudini seminis cannabini æqualia, dura, subrubra, materiam modo sanguinolentam, modo sebaceam in se continentia. *Guttæ* autem *rosacæ* nomine venit rubor roseus, pustulosus, durabilis, quo faciei cutis occupatur.

§. II.

Unde vari & gutta rosacea proveniant, de eo nihil est commemoratum in definitionibus; idque appo-

apposite, ne contra logicorum præcepta impegisse videar. Quum enim is finis princeps esse debeat definitionum, ut res definita a reliquis discerni possit: tot tantum notas in quacunque definitione enarrandas esse patet, quot opus est ad definitum ab aliis dignoscendum: confer. *Illustr. WOLFH Logic. lat. §. 53.* Hinc licet in definitionibus varorum & guttæ rosacæ sò. antecedenti suppeditatis nulla causæ facta sit mentio: easdem tamen suffecturas spero, ad clare intelligendum, quid vari sint, quid gutta rosacea? Quod ut eo luculentius pateat, iuvabit hoc loco quædam de differentia adferre, quæ inter definita & alia intercedit exanthemata, quibus quoque cutis faciei interdum conspurcata comparet. *Varos* dixi esse tubercula: quos iam inde ab illo exanthematum genere, quod maculis tantum absolvitur, plane differre quisque facile intelliget. In maculis enim præter inconstitutum cutis colorem nihil amplius observare licet; in tuberculis vero adsunt cutis asperitates & prominentiæ. Neque minus ope definitionis nostræ varos etiam a reliquis exanthematibus tuberosis speciatim discernere licebit, quam primum ad reliqua definitionis momenta iusto attendatur modo. Exanthemata enim tuberosa, quamvis in eo cum varis conveniant, quod singulis eadem notio generis respondeat: ab illis tamen differunt, partim magnitudine in definitione ipsis adsignata, partim reliquis eorundem qualitatibus descriptis, partim quod maximum est, ratione loci, in

quo oboriuntur. Quare licet tubercula illa, quæ ex arthritide vaga scorbutica, Belgis *de Loopende varen* dicta, in facie quoque pronascentur, & ideo a medicis varorum nomine insigniantur: ea tamen a nostris variis, de quibus definitio loquitur, multum discrepant. Tubercula enim eiusmodi scorbutica non in facie solum, sed in aliis etiam partibus proveniunt, colorem brunum & livescentem referunt, fœtorem spargunt; aliter vero se res habet cum variis, utpote qui sedem sibi tantum in facie sola quasi vindicarunt, & coloris sunt subrubri, nihilque fœtidi ex se emittunt. Varos autem multum cum furunculis convenire, præcipiunt rerum chirurgicarum auctores; prout id quoque indicatum esse voluit *Illustr. Dom. PRÆSES in Chirurg. Tab. XV. de variis & gutta rosacea.* Verum enim vero licet ad tantam inflammationem concipiendam, prout sæpe observentur vari, quanta ad furunculum progignendum requiritur: ideo tamen valde inter se differunt, non secus, ac consequens a suo antecedente. Qui quidem hanc inter se habere videntur cognitionem, ut utrique ad tubercula inflammata pertineant, quibus autem sequens interponi debet discrimen. Vari nempè superficialia parumque dolorifica; furunculi vero profunda, multumque intensa, ac dolente inflammatione statim iuncti comparent. Quare cum aliæ determinationes in furunculis adsint, quam quæ in variis deprehenduntur; neque ita vari cum furunculis plane convenire dici poterunt. Sed
ad

ad guttam rosaceam : quæ quam diversa sit ab erysipelate, aliisque in facie obortis ruboribus, ex definitione rite perpensa haud difficulter intelligi poterit. Erysipelas enim præter faciem & alia quoque corporis loca adgreditur, sedem suam commutat, colorem rubrum quidem, sed ad flavedinem quandam simul accedentem exhibet. confer. *Illustr. Dom. PRÆSID. Chirurg. Tab. V. de tumor. inflammator.* Gutta autem rosacea faciem solam occupat, diu in hocce loco persistit, colorem rosæ similem refert; qui si in facie varis obsita præsto, vel in nigredinem quandam conversus fuerit, *morpheam* constituit: videatur *Illustr. Domin. PRÆSID. Chirurg. Tab. XV.* Cui tamen termino CELSVS *Libr. V. Cap. XXVIII. Sect. 28.* alium tribuit significatum, *viriliginis* nempe, quæ impetiginis quædam species est: quem hac in parte multi alii auctores sequuti esse videntur, ut BLANCARDVS, BRVNO, quorum lexica medica suo loco evolvantur; sed hæc in transitu. De eo porro nil dicam, quod in gutta rosacea simul adsint pustulæ, quibus erysipelas, nisi corruptum fuerit, caret. Erit hoc loco id adhuc adnotandum, quod *vari* & *gutta rosacea* alia adhuc habeant synonyma: illi dicuntur etiam *jombi, cossi, coxi*; hæc *roseolæ saltantes*: aliis aliud quid hoc ultimo termino indicantibus, pustulas nempe mirum in modum inflammatas, cutim pedum noctu præsertim infestantes, ibidemque & prurimum, & exulcerationem excitantes.

14 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

In quam rem evolvantur BRVNO & BLANCARDVS l. c. Non erit denique opus, ut de etymoharum vocum multum sim sollicitus, probe gnaris, quod in verbis nulla lateant realia. Ego satis habeo, indicasse notionem, quam cum hisce terminis coniunctam esse volui. Qui tamen eiusmodi argutiis criticis delectantur, illos iuvabunt lexico graphi medici, quos per me consulant.

§. III.

Certum medicinæ fundamentum experientiam esse, nemo facile inficias ibit. Hac enim duce, uti in rebus omnibus naturalibus ad solidam earundem cognitionem penetratur: ita, eadem fida præceptrice, ad veram morborum cognitionem nobis pervenire licebit. Quare necessum erit, ut de varis & gutta rosacea acturus, ea prius enarrem quæ, de hoc malo nobis commonstrat experientia, reliqua inde, tanquam ex certo quodam principio deducturus.

§. IV.

Varis & guttæ rosacea obnoxia est ætas juvenilis, & quam cosequitur consistens. Subiecta quæ hoc malum, quod sæpe hæreditarium fuisse observatum est, patiuntur, ordinario sunt plethorica. Varis provenientibus, adest modo dolor, modo pruritus, modo neutrum quid; pustulæ autem guttæ rosacæ plerumque & dolent, & pruriunt. Sæpe etiam contingit, ut utriusque malo se impetigo adiungat, & inprimis gutta rosacea tantum naso addat
aug-

augmentum, quo labiis nimium gravatis cibos ingerendi, loquendi & respirandi facultas simul valde opprimitur. Ad materiam autem quod adinet, quæ tam in varis, quam pustulis guttæ rosacæ continetur: sequens eandem intercedere discrimen deprehensum est. Vari nempe, non ita prorsus maturati, consistentem & cruore intermixtam; ad plenariam autem maturitatem proVecti, puri incrassato, vel sevo similem materiam exhibent; quæ magis est tenuis & saniei formam præ se ferens, qua refertæ turgent pustulæ guttæ rosacæ. Vtraque tamen ita comparata esse observatur, ut per cutim quoque sanam diffusâ eandem pari fœditate inquinet. Qui tandem hoc malo sunt adflîcti, satis quidem bonâ sanitate perfrui videntur, nisi quod eosdem hæmorrhagiarum naturalium anomalîæ, maxime sexum sequiorem excretiones menstruæ valde turbatæ exercent. Quorum omnium nobis fidem faciunt: *III. Dn. PRÆS. Tab. Chir. XV. WEPFERVS in observationibus medico-pract. observ. CCXV. CCXVI. CCXVII. TIMÆVS a GVLDENKLEE in casibus medicinalibus Cas. XIX - XXI. ZWINGERVS in Theatro Prax. medic. sub vocibus jonthi & gutta rosacea. CRAVSIVS in Dissert. de varis Jenæ ao. MDCXCVII. edita.*

§. V.

Notatu porro dignum est, id quoque docente experientia, quod varorum & guttæ rosacæ regressionem ad loca interiora longe acerbiora consequuntur

16 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

tur damna, ut adfectus arthritico - rheumatico - spastici, catarrhus suffocativus, fluxus menstrui, etiam fati legitime procedentis, magnæ perturbationes. Confer. *Illustr. Dn. PRÆS. I. c. RIEDLINVS in curis medicis Centur. II. observ. CXVI.*

§. VI.

Varos & guttam rosaceam ad cutis morbos pertinere, jam ex §o. I. patet. Sed cum multum juvet, ad ipsum morbum penitius intelligendum, eius partis, in qua residet, genuinam structuram & conditionem nosse: quædam igitur hoc loco ex anatomicis de cute dicenda erunt.

§. VII.

Cutis, universale illud corporis nostri velamentum, dividi solet ab anatomicis in *cuticulam* seu *epidermidem*, & *cutim* sensu stricto sumtam i. e. quæ remanet, si membrana adiposa seu panniculus adiposus ab eadem demitur. Prior admodum tenuis est, caret omni vasorum genere, destituitur filamentis nerveis, membranosis & tendineis, ex squamis composita: posterior autem innumeris vasibus sanguineis, lymphatico - serosis, imo glandulis, quæ subcutanæ dicuntur, est prædita, totidemque filamentis nerveis, membranosis & tendineis instructa. Hinc etiam valde fenilis est & elastica. Vid. B. KVLMVS in *anat. Tab. VI. GARENGEOT Splanchnolog. cap. III. WINSLOW. anatom. edit. germ. Tom. III. pag. 395. seqq.*

§. VIII.

§. VIII.

Cum in varis adsint tubercula, & in gutta rosacea prostant pustulæ (§. I.): *in facie, varis & gutta rosacea conspurcata, aderunt quedam cutis loca, ubi cutis magis promineat.*

§. IX.

In varorum tuberculis continetur materia quædam paulo crassior, quæ in pustulis guttæ rosacæ tenuior esse observatur (§. IV.); utraque tamen adhuc quodammodo fluida. Vnde colligere licet: quod a *materia quadam fluida, in vasculis cutaneis nimium coacervata, vasculorum fiat extensio, indeque cutis ipsius in locis quibusdam prominentia.*

§. X.

Circa varos adparet color ruber, isque intensior in gutta rosacea (§. I.), in qua simul contingit, ut nasus interdum in ingentem excrescat molem (§. IV.). Cum vero omnis rubedo in parte quadam oborta, a nimio in eandem sanguinis influxu pendeat; & ad partis cuiusdam augmentum perficiendum, eiusdem nutritione, adeoque copiosioris lymphæ nutritiæ, quæ sanguini inest, ad parrem augendam, adpulsione frequentiori opus sit (quod ex Physiolog. constat): ex quibus iam conficitur, quod *vascula cutis varis & gutta rosacea obsita sanguine in iisdem nimis coacervato turgeant.*

C

§. XI.

§. XI.

Quæ in tuberculis varorum & pustulis guttæ rosaceæ continetur materia, ea non amplius rubrum, ut sanguis, sed subcruentum tantum exhibet colorem, imo ichoroso-saniosa est (§. I. IV.). Hinc sanguinem in vasculis cutaneis nimis adanctum stagnasse, ideoque corruptionem quandam subisse concludere licebit.

§. XII.

Materia, quam vari & pustulæ guttæ rosaceæ comprehendunt, se quoque in cutim sanam diffundit (§. IV.). Necessum igitur est, ut tum fiat solutio continui. Cum vero materia, inde effluens, fit ichoroso-saniosa (§. cit.); & ulceris nomine veniat eiusmodi solutio continui in parte quadam, unde dictæ indolis materia excernatur (*Ill. Du. PRÆSID. chirurg. Tab. XXXIX.*): sequitur, *varos & pustulas guttæ rosaceæ spectari debere ut ulcera.*

§. XIII.

Pars cutis sana ex adfricta eidem materia, quæ ex varis & pustulis guttæ rosaceæ effunditur, pari feciditate inquinatur (§. IV.): ut de eo nihil dicam, quod varis & guttæ rosaceæ se impetigo sæpius adiungat (per §. eundem). Quare speciali quodam inquinamento & contagio hancce materiam esse imprægnatam, sine dubio coniiciendum erit.

§. XIV.

Vari & pustulæ guttæ rosaceæ spectari debent
ut

ut ulcera (§. XII.), quorum materia speciali quodam inquinamento & contagio est imprægnata (§. anteced.). Cum vero eiusmodi ulcera dici soleant ulcera composita seu qualificata (*Ill. Dn. PRÆSID. Chirurg. Tab. XXXIX.*): iam patet, quod *vari & pustule gutta rosacea spectari debeant ut ulcera composita seu qualificata.*

§. XV.

Qui varis & gutta rosacea sunt deturpati, dolorem & pruritus sæpe perferunt (§. IV.). Sed organa sensationis sunt nervi (per principia Physiolog.): Unde *nervos simul in varis & gutta rosacea adfici*, patet.

§. XVI.

In varis & gutta rosacea vascula extenduntur (§. IX.), nervi adficiuntur (§. XV.). Jam cum cuticula seu epidermis tam vasis, quam nervis sit destituta (§. VII.); illis autem cutis sensu stricto sumpta abundet (per §. eund.): sequitur, *varorum & gutta rosacea sedem in hac cute esse constituendam.*

§. XVII.

Corpus nostrum a ruinæ periculo, & eminenti destructione ex usu brevi immune esse ac liberum observamus, eidem tum *firmitatem* quandam tribuentes: consistet itaque *corporis nostri firmitas* in illius immunitate a ruinæ periculo, & destructione eminenti ex usu brevi.

§. XVIII.

Vari & gutta rosacea tollunt firmitatem corporis nostri. In varis & gutta rosacea adest cutis prominētia & extensio (§. VIII. IX.), adest igitur periculum ruinae, ubi nempe verendum sit, ne cutis solvatur. Debent porro vari & gutta rosacea spectari ut ulcera (§. XII.), eaque composita, seu qualificata (§. XIV.); ubi adeoque cutis continuum non dissolutum solum prostat, sed & constans relinquitur metus, ne malum latius circumserpat (§. XIII.). Itaque cutim, tuberculis varorum & pustulis gutta rosacea oblitam, non esse immunem a periculo ruinae & sui destructione, adeoque infirmam fieri, perspicuum est (§. XVII.). Est autem cutis pars quaedam corporis nostri, hinc ad suum totum referenda. Quae cum a varis & gutta rosacea infirma reddatur (per anteced.): hocce ergo malum corporis nostri firmitatem tollere, dubitari nequit.

§. XIX.

Corpus nostrum eiusque singulae partes talem habent dispositionem, qua usus totius corporis perfectior evadit. Eiusmodi dispositio *corporis utilitas seu commoditas* adpellari consuevit.

§. XX.

Vari & gutta rosacea laedunt utilitatem seu commoditatem corporis nostri. Vari & gutta rosacea tollunt firmitatem corporis nostri (§. XVIII.): hinc necess.

necessum est, ut illius firmitate sublata, tollatur simul is usus, qui per eandem est possibilis. Hinc cessat etiam dispositio, qua usus corporis hac in parte esset perfectior. Eiusmodi autem dispositio corporis nostri cum illius utilitas seu commoditas adpelletur (§. XIX.): vari & gutta rosacea quod lædant utilitatem, seu commoditatem corporis nostri, conspicuum est.

§. XXI.

Veram esse propositionem (§o. anteced.) exhibitam, multis quoque modis probat experientia. Revolvantur hic ea, quæ §i. IV. V. in se comprehendunt. Quis enim dolorem, quis pruritus, quis impeditam edendi, loquendi & respirandi facultatem, quis denique catarrhum suffocativum, & alia æque gravia damna, quibus corpus nostrum adficiatur, ad illius perfectiones, adeoque & commoditatem numerabit? Sed tam atrocia mala sunt, quæ a varis & gutta rosacea in corpus nostrum transmigrant.

§. XXII.

Quæ nobis sub specie perfectionis cuiusdam præsentantur: ea nobis placere experimur. Sed percipitur quid in corpore nostro, quod nobis placet. Quatenus igitur perfectio quædam in corpore nostro sensu percipitur, eatenus eidem *pulchritudinem* quandam competere iudicamus.

§. XXIII.

Vari & gutta rosacea officium pulchritudini corporis nostri. A varis & gutta rosacea lædi firmitatem & commoditatem corporis nostri constat (§. XVIII. XX.). Firmitas autem & commoditas corporis nostri sunt perfectiones, quæ sensu queunt percipi: vari itaque & gutta rosacea lædent perfectiones, quæ sentiri possunt. Sed perfectio corporis nostri, quatenus sensu percipitur, pulchritudo audit (§. anteced.): unde varos & guttam rosaceam officere pulchritudini corporis nostri, pronam iam fluit alveo.

§. XXIV.

Idem comprobat omnium fere hac de re iudicium. Neminem enim facile fore, testatur experientia, qui non existimet, quantopere facies a varis & gutta rosacea deturpetur. Quam deformitatem eleganter descripsit MVRETUS *Lib. II. Poëmet. varior. epigrammate 50. de Pompilii naso.* Sane! nullum malum, quod corpori nostro accidere potest, magis abhorrent, quam varos & guttam rosaceam, qui præcipue venustatis curam aliquam habent.

§. XXV.

Varias varorum & guttæ rosacæ hætenus expendimus adfectiones, partim ope experientiæ cognitatas, partim ratiocinando elicatas. Iam ad causas huius mali rite evolendas progrediendum erit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Oriuntur vari & gutta rosacea a congestione sanguinis; eaque incompleta. Tubercula varorum & pustulæ guttæ rosaceæ formantur a materia quadam fluida, in vasculis cutaneis nimium coacervata (§. IX.), quæ sanguis est (§. X.). Non potest autem sanguis in vasis quibusdam nimium coacervari, nisi ex aliis vasis copiosius profluat ad aliâ vasa directus, ubi colligatur. Sed sanguinis ad certa loca, ubi colligitur, directio, dici solet congestio (*Illust. Dn. PRÆS. Patolog. Tab. IX.*): Ergo varos & guttam rosaceam a congestione sanguinis oriri, nullum est dubium.

Cum vero in varis & gutta rosacea sanguis ad loca, ubi nulla eiusdem perruptio expectari potest, congeratur; nempe ad vasa subcutanea menti, frontis &c.; talisque congestio audiat incompleta (*Illust. Dn. PRÆS. l. c.*): hinc etiam patet, congestionem hanc esse incompletam, a qua vari & gutta rosacea oriuntur.

§. XXVII.

Cum itaque vari & gutta rosacea a congestione sanguinis incompleta oriantur (§. ant.); simul autem spectari debeant ut ulcera (§. XII.), eaque qualificata (§. XIV.): necessarium est, ut sanguis ad vascula subcutanea congestus subeat peioris cuiusdam indolis corruptionem, cutisque continuitatem solvat.

§. XXVIII.

Quo spissior sanguis est, quo plures in se contineat

tineat particulas sulphureas, fermentescibiles, quo arctiora sunt vasa, per quæ traici debet: eo facilius exinde fieri debet stasis, indeque citius subnatura corruptio. Ast cum in varis & gutta rosacea sanguis congestus corrumpatur (§. ant.): *subiecta, quibus sanguis spissior multis particulis sulphureis, fermentescibilibus permistus & vasa angustiora sunt, hoc malo magis fore obnoxia patet.*

§. XXIX.

A congestione sanguinis incompleta cum vari & gutta rosacea progignantur (§. XXVI.): huic congestioni ratio sufficiens, seu principium aliquod ut insit, necesse erit. (per princip. rat. suffic.). Eiusmodi vero principium, quo existentia seu actualitas alterius ab ipso diversi dependet, causa nuncupatur (*Illust. WOLFII Ootolog. lat. §. 881.*): *varorum igitur & guttæ rosacæ causam esse congestionem sanguinis incompletam, inde consequitur.*

§. XXX.

Quo plures itaque sanguinearum congestionum causas quis in se admiserit, qualis esse possunt sanguinis abundantia, spissitudo, veneris & spirituosorum abusus, commotiones animi, exæstuationes corporis, capitis præcipue, illiusque repentinæ refrigerationes, neglectus hæmorrhagarum tam artificialium, quam naturalium &c. sequitur, ut eo citius hoc malum concepturus sit. Ex quibus iam intelligi poterit *cur atas potissimum iuvenilis & consistens huic malo*

lo subiecta sit, nec non quare perturbatis hæmorrhagijs naturalibus, præcipue suppresso sexus sequioris fluxum menstruo, tam sæda progenies excludatur? (§. IV.).

§. XXXI.

Hæc omnia, quæ nunc de causa varorum & guttæ rosacæ indicavimus, quemadmodum experientia (§. IV.) plane sunt conformia, ut non exiguum inde dictis de hac re robur addatur: ita nullum operæ pretium foret, longa sententiarum, quas veteres de hocce morbo conceperunt, enarratione L. B. defatigare. In hepatis nimio calore & intemperie, nec non humoris alimentaris ac excrementitii atrabilarii crassitie, tota illorum de hac re terminabatur theoria. De qua, quid iudicari debeat: me tacente sapientiores iudicent. Mihi enim sufficit, planiorem indicasse modum, quo experientia & rationi magis conformiter explicari possit varorum & guttæ rosacæ origo. Cum vero duplex medici sit officium, & causas morborum cognoscere, & easdem tollere, vel scire morbos curare: reliquum adhuc est in tractatione præsentis, ut scilicet modum indicem, quo varorum & guttæ rosacæ instituenda sit curatio, suam CORNELIO CELSO sententiam relicturus, qui pro ineptis habendum esse contendit, varos curare: vid. *Præfat. Dissert.*

§. XXXII.

Morbo mederi est eius causam tollere. Oriuntur

D

tur

26 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

tur vero vari a congestione sanguinis incompleta, tanquam a sua causa (§. XXVI. XXIX.). Quare in varorum & gutta rosacea curatione huic regula satisfaciendum erit: tolle congestionem versus caput.

§. XXXIII.

Proderunt itaque blandæ, sed sæpius repetitæ laxationes, venæsectiones in pede, frictiones partium inferiorum; pediluvia & alia ad derivandum sanguinem a capite pertinentia remedia. Hæmorrhagarum quoque naturalium in convenientem ordinem redigendarum cura habeatur. Atque id maxime prospiciendum erit, ut in sexu feminino excretiones menstruæ, quæ plerumque sub varis & gutta rosacea anomalæ sunt, redintegrentur (§. IV.). Quod si autem vel ob ætatis, vel aliam corporis rationem hæmorrhagarum naturalium reparatio obtineri nequeat: tum artificiales eo frequentius instituantur.

§. XXXIV.

In congestionibus fibræ sunt strictæ, adest sanguinis expansio (*Illustr. Dn. PRÆS. Patholog. Tab. IX. Therap. special. Tab. XVIII.*). Sed tollendæ sunt congestiones sanguinis in varorum & gutta rosacea curatione (§. XXXII.). Ergo ad fibrarum stricturam, sanguinisque expansionem tollendam, ut hoc loco simul attendatur, necessum erit. Impetratur id autem temperantibus (*Illustr. Dn. PRÆS. Therap. l. c.*):
reme-

remedia itaque temperantia proficiunt. E. g. nitrosa, acidula, absorbentia, acido quodam saturata &c.

§. XXXV.

Aequalem humorum in corpore distributionem, blandeque per diapnoën succedentem seri evacuationem optimum esse ad congestiones remedium & experientia, & ratio loquuntur. Jam cum ad varorum & guttæ rosacæ curationem congestionum sublacione opus sit (§. XXXII.): hinc simul commendanda erit æqualis humorum in corpore distributio, blandeque per diapnoën succedens seri evacuatio. Quod cum eo facilius obtineatur, quando humores satis fluidi fuerint: tum maxime de eorum resolutione simul perficienda hic cogitari debet (§. XI.).

§. XXXVI.

Quantum seri evacuatio, æqualisque humorum distributio ad guttam rosaceam curandam conferat, docet experientia. Ita ZACVTVS LVSITANVS Prax. admir. Lib. I. Observ. 68. iuuenis cuiusdam mentionem facit, qui vere & ætate a gutta rosacea liberatus vixit, cui hieme semper erat obnoxius. Cuius phænomeni ratio, sine dubio in æqualitate humorum per corpus fluentium, & transpiratione, veris & ætatis tempore magis aucta sita erit. Eximium igitur hic usum præstabunt tenuis potus largiter hauustus, & quotidianæ corporis exercitationes, efficacissimum sane remedium & ad humores resolvendos, & æqualiter per uniuersum corporis systema distribuendos, & a sero excrementitio egregie depu-

randos. In auxilium simul trahi poterunt remedia, sanguinem sine eius vehementi expansione adtenuantia, & diaphoresin promoventia e. g. tincturæ alkalicae cum essent. succini parce remixtae, essent. alex. STAHLII, decocta & infusa ex radicibus & herbis resolventibus & diaphoreticis parata, antimoniata fixa cum salibus neutris; & multa alia huius generis remedia, quorum apparatus nobis sistit materia medica.

§. XXXVII.

Cum porro in varis & gutta rosacea vascula cutanea contineant sanguinem partim in stasin, partim etiam in corruptionem iam deductum (§. XI.); imo vari & gutta rosacea spectari debeant ut ulcera, & quidem qualificata (§. XII. XIV.): hinc quoque *remediis externis locus concedi poterit*. Sed sanguis stagnans sui discussionem, & ulcera qualificata magis continuandam exposcunt mundificationem, cui demum subiungatur consolidatio. Quare *ad varorum & guttae rosaceae curationem adhibeantur quoque remedia externa modo discutientia, modo mundificantia & consolidantia.*

§. XXXVIII.

In quem finem usurpari poterunt sacculi discutientes, camphorati, nervini, nec non essent. zingib. ari; quippe quæ præter effectum discutientem, vim quoque exerit abstergentem. Vbi autem discussio irrita fuerit, ibi mundificatio & consolidatio ex deseripta

praemethodo *Illustr. Dn. PRÆS.* instituaturs; cuius ideo
Chirurg. Tabb. XV. XXXIX. evolvantur.

§. XXXIX.

Regressionem varorum & guttæ rosacæ ad loca interiora magna consequuntur damna (§. V.): *caveant sibi itaque ægri, ne tale quid in se admittant, quod hancce regressionem efficere valet. Hinc abstinendum erit a cosmeticis saturninis, adstringentibus, repentinis refrigerationibus &c.*

§. XL.

Cum denique varia adfectuum genera e. g. ira terror, &c. sanguinem valde expandant, atque ob hanc rationem congestiones contumaciores fieri debeant (§. XXXIV.): ab adfectibus igitur *ut animus habeant liberum ægri sibi prospiciant.* Quibus omnibus rite observatis constanterque ob mali pertinaciam continuatis, sanitatem, tanquam susceptæ curationis finem ægri tandem obtinebunt.

TANTUM.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
ERNESTO LVDOVICO
EICHRODT

S. D. P.

IOANNES IVNCKERVS.

Obtulisti mihi hanc TVAM dissertationem de variis & gutta rosacea egregie conscriptam, quippe de quo themate rite excutiendo inficias ire non possum, quin me statim, ubi TVVM consilium mihi proposuisti, eius habueris suffragatorem. Dicam vero sententiam planius & rationes, quas habeo, cur mihi se probet hic labor TVVS. Vna est, quod hunc pulcritudinis morbum, in quo multi veterum medicorum, cum primis ratione pathologia, aliquid humani passi sunt, intimis causis illius enucleatis a corrupta pathologia vindicasti; Altera est, quod data vera pathologia egregie demonstraisti, quo tandem pacto homines ab hoc morbo feliciter possunt liberari, iterumque sine
cosme-

cosmeticis undique laboriose conquestis evadere pul-
ciores; ubi tamen adhuc iure desidero illud, quod
non diserte docueris, quoniam sit morbus chronicus,
non promiscuam, sed chronicam itidem eius debere
esse curationem, id quod si methodo a TE suppeditata
addideris, perfecta omnino esse poterit; tertia tan-
dem est, quod scientiam feliciter satis, si quid iudi-
co, cum arte in eadem coniunxeris. Ego vero TE,
CANDIDATE NOBILISSIME, hodie in lucem aca-
demicam cunctis ordinis nostri amplissimi suffragiis
prodeuntem bonis verbis destituerem, neque publica
amoris adversus TE mei & letitiae speique a TE
omnibus factae iestificatione non comitarer? Egone ho-
nores academicos TIBI non gratularer? Gratulor
omnino, vere & ex animo TIBI applaudo; & pri-
simum votorum de salute TVA reus nova pro TE
nuncupabo. Nolo autem in praesentia modestiam
TVAM, **CANDIDATE DOCTISSIME**, offende-
re praedicandis TVIS profectibus aut recensenda illa
industria TVA, cuius per tres annos una cum aliis
TVIS praeceptoribus doctissimis testis ego fui locuple-
tissimus. Et licet in TE bene formando hos tres an-
nos nonnihil operae ipse posui, eius tamen exoptatos
fructus tacitus percipere, quam ambitiose praedicare,
malim. Vix tamen mihi temperare possum, quin
commemorem, idque in TVAM IPSIVS laudem, TE
in scholis meis clinicis, quibus diligentissime interfui-
sti, tantum profecisse, ut per integram, & quod ex-
currit, annum egrotis pauperibus cateruatim quoti-
die in domum meam confluentibus etiam absente me
feliciter

feliciter dare consilia usque apposite præscribere poteris medicinam. Atque his rebus, fateor, superiori laudi TVÆ cumulum addidisti egregium, & declarasti, TE cum ratione & experientia viam ad medicinam propediem in patria faciendam esse ingressurum. Emitere igitur, CANDIDATE DOCTISSIME, ut, quam spem & expectationem patrie sustines, eam non aequis solum, verum etiam longe superes. Id autem fore non tam spero, quam prorsus confido. DEVM precor indulgentissimum, ut TIBI suis in posterum donis fauveat, felices curationum successus præstet, omniaque TVA salutaria conamina sua gratia fortunet. De reliquo ita velim sentias, ut omnia, quæ a me scripta sunt de TE, CANDIDATE NOBILISSIME, non consuetudini potius & assentationi, quam haud infucato adversus TE amoris meo, TVOQUE IPSIVS merito tribuas. De me autem TIBI confirmo, nihil mihi fore optabilius, quam si successibus rerum TVARVM letandi gratulandique crebras nactus fuero occasiones. DEO OPTIMO MAXIMO unice commendatus vale, & omnia age quam rectissime; & me, quod facis, ingenuo porro amplectaris amore peto. Iterum vale & salve. D.

in Fridericiana a. d. IV. Octobr. Anno

1700

VIRO

VIRO IUVENI PRÆSTANTISSIMO
ERNESTO LVDOVICO
EICHRODT
CANDIDATO DIGNISSIMO
AMICO AESTVMATISSIMO
S. P. D.
PETRVS NICOLAVS NEVGART

M. D.

Non pro recepta consuetudine gratulandi candidatis, ad capessendos honores academicos progredientibus, sed ut mea erga TE amicitie satisfacerem, TIBI vel tribus verbis, CANDIDATE PRÆSTANTISSIME, significare debui, quæ mea in TE sit voluntas. Absoluto iam studiorum TVORVM cursu academico, quem in Fridericiana nostra per aliquot annos laudabiliter es persecutus, præclarum eruditionis TVÆ specimen publice edis, TVOQVE inaugurali expendis argumentum de varis nempe & gutta rosacea, ita eleganter, perspicue ac solide a TE tractatur, ut inde luculenter constet, quantum vera morbi cuiusdam theoria experientie respondeat, quantumque praxi sit accommodata. Egregie scilicet doces, quod remedia externa, cuiuscunque etiam illa sint efficacie, in varis & gutta rosacea per sanandis non omnem punctum absolvant, quin potius maiorem corpori noxam adferant; nisi conveniens in eorundem commendatione adhibeatur circumspectio. Magis autem prodesse tradis, DOCTISSIMÈ CANDIDATE, si ad varo-

E rum

rum & gutta rosacea curationem agris propinentus
pharmaca resolventia, temperantia, leniter laxantia,
& diapnoën blande excitantia; iisdemque simul com-
mendentur motus corporis, venæ sectiones in pede in-
stituenda, hæmorrhagiarumque naturalium cura con-
veniens: verbo, si ita in medicatione varorum & gut-
tæ rosacæ procedatur, ut plenitudo sanguinis eiusque
spissitudo, atque inde plerumque orta congestiones tol-
lantur. Hæc omnia non solito tantum more tradis,
sed etiam quod tradita TVA methodus rationem ha-
beat, simul demonstras. Constabit inde orbi erudito,
quam parum estimari possit illud D. ANDRI in ortho-
pædia nuper edita magnis laudibus ab ipso ad varos &
guttam rosaceam commendatum remedium: quod ius
est, e carne ovina, cum aqua ex herba pimpinella in-
fusa, paratum. Innotescet porro, quod nihil fidendum
sit oleo talci, fumo sulphuris, aliisque huius furfuris
remediolis, transpirationem faciei tantum repellenti-
bus, a multis tamen mirum in modum laudatis: vid.
Histoire de l'academie des sciences an. 1725. Quo-
so! quid efficaciæ inest eiusmodi insculis? nutriunt
corpus, augent plethoram, unde metuenda erunt humo-
rum spissitudo & congestiones; quibus autem efficitur,
ut vari & gutta rosacea magis confirmentur, quam
tollantur. Sed quid de oleo & aqua talci? meteora
sunt in practicorum & chemicorum atmosphæra, que
Excell. D. CARL in præclaro suo libello von Chy-
mischen Storgereyen, hæud incongrue ignes fatuos,
Irrwische nominat. Idem quoque iudicandum erit de
reliquo remedium adstringentium adparatu, que ni-
hil aliud præstant, quam ut obstructis pororum ostiis,
humo-

humorum circulationem impediunt, ideoque illorum stasim ac corruptionem magis adaugeant. *Quæ cum ita se habeant, quid itaque peius erit medicina adstringente? Sed quid iam restat, quod eiusmodi ægris cum fructu commendari possit? Hæc eadem, PRÆSTANTISSIME CANDIDATE, quam TV in perquam elegantibus dissertatione TVA exhibuisti, methodus varos & guttam rosaream curandi, hoc malo adstrictos valdopere solabitur: quos modo non tedeat commendatam humorum resolutionem, imminutionem, eorundemque ad loca inferiora derivationem, nec non æqualem per corpus distributionem per aliquid durans tempus continuare, certo certius experturos, quod tandem bona causa triumphet. Quare de mortalium salute hac in parte optime mereris, qui efficax aliquod consilium suppeditasti, quo convenienter observato, malum quoddam corporis, alias satis contumax, tandem propelli possit. Quia etiam omnia, quæ de hoc utilissimo argumento in dissertatione TVA pertractato perspicuis rationibus diluisti: duplici igitur laude dignus esse videris, partim quod utilia tractasti, partim quod, quæ tractasti, certo cuidam fundamento superstruxisti. Amplissima itaque mihi nunc esset occasio in laudes TVAS excurrendi, nisi TE, CANDIDATE DOCTISSIME maiorem mea prædicatione haberem. Quo labore aliis relicto, ego TIBI potius bona verba dicam. Gratulor itaque TIBI, & vere gratulor summos in arte medica honores, quos iam optima iure ac merito capessis, summumque precor Numen, ut hæc status TVI mutatio TIBI, splendidissima familia TVÆ, nec non multis ægrotis magno semper cedat solatio, emolumento. Quod reliquam est, id de me per suum*

sum habeas quaeso, fore, ut ego TVAM amicitiam semper
magni faciam, eiusdemque memoriam nunquam non
conservem. Unum adhuc restat a TE petendum: per-
ge me amare. Dabam Halæ propter Salam ad d. IV.
Octobr. clō Iccc xxxv.

PRÆNOBILISSIMO ELEGANTERQUE
DOCTO
ERNESTO LVDOVICO
EICHRODT

S. D.
ADAMVS NIETZKI,
PRVSSVS.

AD cathedram contendis, mi EICHRODT, sum-
mos inde artis machæneæ honores reportatu-
rus. Non potui igitur hancce commodam occa-
sionem prætermittere, publica quadam mei in
TE amoris & gaudii testificatione, quod iam ex laurea
TVÆ percipio, TIBI commonstrandi, quantum ego TE
habeam. Postulant id leges amicitiae nostræ, quas ego
semper sancte servandas esse statuo; requirit idem op-
ponentis sparta, quam TV mihi deferendam esse voluisti.
Virumque ita exsequar, ut TIBI paucis declarem, quid
de TVÆ dissertatione iudicari debeat, ad vota deinde
progressurus. De utilitate argumenti, quod tractas, nul-
lum plane est dubium. Nam quod vari & gutta rosa-
cea sint morbus, in praxi sæpe obuius, docet experientia;
quod in illius reddenda ratione plerique medicorum &
chirurgorum sint hallucinati, id partim ex diversis illo-
rum

rum de hac re iudiciis, partim ex inde, quod ea experientie parum bene sint conformia, haud obscure colligi potest. Non est, ut haec probem, quorum probationem in dissertatione TVA a TE iam esse suppeditatam inveni; quibus id potius adiungam, unde modus constet, quo TIBI in suscepta materia tam utilis tractatione procedere placuit. Perlustrata autem dissertatione TVA, de prebendi, PRÆNOBILISSIME CANDIDATE, TE hoc ordine in rebus pertractandis esse usum, ut praemissa morbi, quem consideras, notione, ad observationes de eodem eatur, inde accurate formatis propositionibus, quas philosophi determinatas dicunt, & ad rectam rei cuiusdam demonstrationem admodum necessarias esse praecipunt. Ita evictis principiis ad conclusiones pergis, in quibus varorum & guttae rosaceae tam variae adfectiones, quam vera huiusce mali causa continentur: his tandem adnectis rationi plane consonam, atque ex stabilitis ante principiis TVIS ultro consequentem curandi methodum. Nullum praeterea terminum definitiones & demonstrationes TVAS ingressum esse inveni. cuius significatus a TE vel antea non esset traditus. vel tanquam cognitus lectoribus iure supponi potuisset. Quod si iam in scripto quodam ea praemittantur, a quorum cognitione reliquorum pendet veritas, omniumque ibidem obviarum propositionum ostendatur nexus, quo subiectum cum suo predicato junctum est: tale scriptum methodo plane naturali, quae alias philosophica seu mathematica audit, conditum esse dici debet. Ex quo mihi igitur conicere licuit, TE, PRÆNOBILISSIME CANDIDATE, hanc quoque praestantissimam methodum in conscribenda TVA dissertatione observasse, sine qua nec fieri potest, ut verum a falso, certum ab incerto, probabile

bile a minus probabili discernatur. Ita cogitare nos edocuit, summus ætatis nostræ Philosophus, Ill. WOLFIUS in discursu præliminari de Philosophia in genere, qui operi logico latino præmissus extat, dignusque, ut vel millies repetita manu ab omnibus, qui medicinam faciunt, revolvatur, quo iis tandem constaret, qua via incedere debeant, ad distinctam artis generi humano saluberrimæ cognitionem perventuri. Sed ut ad TE iterum redeam, CANDIDATE DIGNISSIME. Exstaret mihi nunc uberrima occasio TE, mi EICHRODT, multis encomiis adficiendi: sed nesci, quod me non sit moris, amicos in faciem laudare, quodque ego nihil magis abhorream, quam vel suspicionem quandam adulationis incurrere. Quare nihil amplius superest, quam ut TIBI summos artis apollineæ honores gratuler, quos TIBI iam merito TVO partos ex animo & gratulor, & rogo, ut iidem TIBI, TVIS & generi humano amplissime proficiant. Hic locorum discessurus, amicitia nostræ memor esto, cuius perpetua conservatione mihi nihil erit exoptatius. Vale. Dabam in Academia Halensi. Iphis Nonis Octobribus A. R. S. c1810cc xxxv.

VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO,
DOMINO CANDIDATO
ERNESTO LVDOVICO
EICHRODT

S. D. P.
IOANNES REGIVS,

MEDIC. CANDID.

Effe me meimet ipsius oblitum, non sine aliquo TVO iure dices, CANDIDATE NOBILISSIME, si beneficiorum, qua in me sine ullo meo merito exstare beni-

benigne voluisti, ac diei huius maxime TIBI solemnis place
obliviscerer. Ex quo enim habitavi TECUM, & TE amico
sincero usus sum, & necessitudines TVAS fide & officiis
maximas colui, divino munere contigit, ut magno animorum
consensu VIRVM EXCELLENTISSIMVM IVNCKE-
RVM inter nos unice diligeremus doctrina studiorumque au-
ctorem fidelissimum, quippe quas vite rationes scio utriusque
fuisse utilissimas maximeque fructuosas. Quam diligens
enim fueris ac industrius, CARISSIME EICHRODT,
in TVA studiorum ratione, ego quidem, quippe TVVS con-
discipulus & contubernalis, testis sum optimus; siquidem ex-
plicatissime & laudabiliter declarasti, omnes boni medici par-
tes non velle TE solum absolvere, sed tanto etiam duce per-
fecte potuisse: presertim ubi nactus fueris in IPSIVS domo
occasionem illam pulcherrimam, quia ad perficiendam rem pra-
cticam per integrum annum agrotis non sine fructu laudabili
esse potuisti a consiliis. Tametsi igitur ea diligentia TVÆ
laus est, ut mea plane non egeat predicatione, tamen in
presentia res omnino ita postulat, ut consuetudinis TVÆque
in me benignitatis causa TIBI gratulari necesse habeam.
Sed, heus TV CANDIDATE DOCTISSIME, prius,
quam hoc amicitia munere defungar, TIBI aliquid in aurem
dicam. Nonne TV fucum vendis? Cosmetica quidem non
loquor, quippe quæ a methodo TVA longe absunt, sed omne
TVVM institutum. Si enim sanitas non datur alia, nisi
morbose, dissertatione TVA, qua hominibus consilia dare in-
tendis, quo fiant pulchriores, sisyphi saxum voluis; aut qui-
cunque prodit, sanum & vitiosum plenum esse succis, esse con-
traria & non contraria, sive, quicumque idem tollit ac ponit,
ille sibi et ipsi contradicit; atqui hoc de TE, quod pace TVA
scripse-

scripserim, valet, quomodo ergo TE vindicabis? qui legere me & audire memini, pulciores homines citius interire reliquis; ergone TV, dum homines efficere allaboras pulciores, occides? Loquere, ut TE videam. Sed salua res est, & satis vocatus sum; si modo homines recte utantur TVIS præceptis, & pulciores esse & vitam producere possunt. Venio nunc ad gratulationem vere & ex animo expediendam. Sed quomodo melius eam expediam, quam si vota pro salutis TVÆ perpetuitate nuncupavero. Faxit DEVS, ut omnium bonorum vota consent, TVque ea superes cumulatissime; largiatur illud Numen Optimum TIBI quicquid salutare est, atque honorificum, atque sic omnia prospere evenire iubeat, ut nemini concedas, sed felix semper existas vel ad invidiam. Ita vale, CARISSIME EICHRODT, vale patriæ, rei medicæ, parenti dulcissima, amicis vive feliciter, mihique, si merebor, fave. Acquiesce igitur pietati, & respice animum, & si quid huic pietatis opera desit, cogitabis, eius emendationem itidem debere esse chronicam, uti morbi TVI curationem. De me velim existimes, numquam me TVI nec velle oblivisci, nec posse TVORVM erga me meritorum, quippe quorum memoria multo mihi erit iucundissima. Vale & salve.

D. in Fridericana a. d. V. Octobr.

clb Ioccc XXXXV.




01 A 6602

ULB Halle
002 932 512

3





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE

VARIS ET GUTTA ROSACEA.

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

*VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO*

DN. JOANNE JVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO
OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSIQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME CAPESENDIS

H. L. Q. C.

AD D. OCT. ANNO MDCCXLV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

ERNESTVS LVDOVICVS EICHRODT

BADA - DVRLACENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

